

perius docuit art. 8. Est autem in nonnullis ex his auctoribus advertendum, non solum videri requirere intentionem faciendi sacramentum, sed etiam conferendi effectum, quas intentiones expressius distinguens Scotus, quam alii, negat utramque esse necessariam, sed solum priorem, quod etiam nos supra diximus in comment. art. 8, et assignavimus modum, quo explicandi sunt auctores, qui loquuntur de intentione effectus sacramenti; non enim est necessarium illum formaliter et in se intendere, sed solum in causa, seu in ipso sacramento.

7. *Hujus veritatis præcipuum fundamentum.* — *Minister sacramentorum non se gerit ut referens alterius voluntatem, sed ut potestate utens.* — Fundamentum hujus sententiæ sic explicatæ sumendum est ex Christi institutione, quoniam ex sola rei natura certum est, non posse probari hanc intentionem esse necessariam, neque esse impossibile alium institutionis modum; hoc enim satis convincent rationes factæ in favorem primæ sententiæ. Quod autem fuerit hæc Christi voluntas et institutio, quamvis in Scriptura sacra expresse non doceatur, potest tamen colligi ex modo et verbis, quibus Christus sacramenta instituit. Quod ita declaratur, quia duobus modis potuerunt signa sacramentalia imponi ad significandum: primo, imponendo res ipsas, aut verba, aut actiones externas, quacumque ratione fiant, seu ponantur in rerum natura; quo sensu procedunt multa ex argumentis prioris sententiæ. Secundo modo potest intelligi hæc institutio, ut per se primo dirigatur ad ministros, et illis detur potestas efficiendi sacramenta. Hoc ergo supposito, argumentor in hunc modum. Sacramentorum institutio facta est hoc posteriori modo, scilicet, dando ministris potestatem efficiendi et dispensandi sacramenta; ergo ex vi illius requiritur intentio ministri ad conficiendum sacramentum. Antecedens patet ex illis verbis institutionis sacramenti poenitentiae: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Joan. 20, ubi potestatem dat ministris, et usum ejus ponit in eorum judicio et arbitrio. Idem est de illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22, nam illis significatur, actionem illam, per deceptionem et simulationem factam, non habere rationem sacrificii, vel sacramenti, sed necessarium esse, ut aliqua ratione fiat ad Christi imitationem, seu representationem, vel prout ab ipso fuit instituta. Idem fere est de illis verbis: *Bap-*

tizantes eos, etc. Nam licet ibi non fuerit institutum sacramentum, sed datum præceptum, tamen in ipsis verbis satis significatur, eam potestatem datam esse ministris et eorum arbitrio commissam. Idem colligi potest ex forma sacramenti Ordinis, quæ datur per modum imperii: *Accipe potestatem*, etc., et ex forma extremæ unctionis, quæ fit per modum deprecationis. Unde D. Jacobus, cap. 5, ad ministrum loquitur, dicens, ut super infirmum oret. Sic igitur in omnibus sacramentis ita est facta institutio, ut procedant ex potestate data ministris tanquam propriæ actiones eorum, et ideo dicuntur remittere peccata, convertere panem in corpus Christi. Prima vero consequentia probatur, quia hæc potestas data est homini, ut homo est; ergo, ut utatur illa humano modo operando per actiones humanas; ergo talis potestas subjicitur voluntati humanæ; ergo necessaria est propria intentio et voluntas ipsius hominis, ut per hanc potestatem censeatur operari; ergo non satis est velle efficere quasi materialiter sensibilem illam actionem, quia illa ex se non est actio hujus potestatis, nec per illam voluntatem applicatur hæc potestas ad operandum; est ergo necessaria prædicta intentio faciendi sacramentum, ut homo operetur, tanquam minister Christi, habens ab illo specialem potestatem. Quod confirmatur et declaratur ex verbis illis Pauli 4 ad Cor. 4: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*. Dispensator enim proprie dicitur ille, cujus potestati et arbitrio committitur aliquarum rerum distributio; quam necesse est fieri modo humano, atque adeo cum voluntate dispensandi res tali potestati commissas; ergo ad hunc modum intelligenda est dispensatio sacramentorum commissa Christi ministris. Quocirca duobus modis intelligi potest negotium aliquod fieri per nuncium, vel ministrum, in quorum distinctione et intelligentia consistit vis hujus fundamenti, et solutio contrarii. Primus est, quando legatus seu minister tantum est nuncius referens alterius voluntatem. Secundus est, quando potestas datur hujusmodi ministro, ut ipse vice alterius, suo tamen judicio et arbitrio, negotium tractet et transigat, seu perficiat; quando enim fit priori modo, non requiritur voluntas seu intentio internuncii, sed solum quasi materialiter concurrat, referens alterius voluntatem. At vero, quando fit posteriori modo, tunc voluntas ministri necessaria est; ut si rex

committat judici cognitionem et judicium alicujus causæ, necesse est, ut talis iudex modo humano et per propriam voluntatem utatur tali potestate; ministri ergo sacramentorum non sunt prioris generis, sed posterioris, ut ex institutione declaratum est. Propter quod dixit Concil. Trident. loco statim citando, absolutionem sacerdotis non esse nudum ministerium, sed actum judiciale; ergo necessaria est in illo prædicta intentio. Quod tandem potest alio exemplo declarari. Nam si Deus daret homini potestatem suscitandi mortuum suis verbis aut imperio, ex vi talis concessionis censeretur positum in voluntate talis hominis, uti tali potestate, quia hoc est de ratione potestatis humanæ ut sic; et ideo non posset actio procedere a tali potestate, nisi aliquo modo dirigeretur in finem seu effectum ejus per intentionem, seu voluntatem hominis, quia hoc est intrinsece de ratione humanæ potestatis.

8. *Veritas hæc ab Ecclesia definita.* — Secundo principaliter probatur hæc veritas, quia hoc modo est intellecta Christi institutio ab Ecclesia; propter quod est ejus auctoritate definita prædicta assertio in Concil. Florent. in decreto Eugenii, et in Trident., sess. 7, can. 11: *Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit*; non enim hæc definitio explicari potest de intentione imitandi exterius, quasi materialiter, ritum, quem servat Ecclesia; primo, quia hoc sensu nullius momenti esset illa definitio, quia loquendo moraliter ac humano modo, non potest aliquis facere exteriorem caeremoniam, quam Ecclesia facit, nisi volendo illam facere; ergo aliquid ultra hoc intendit Concilium. Secundo, quia de hoc nulla fuerat controversia; Concilium autem intendit damnare errorem dicentium sacramentum ejusdem valoris esse, sive serio, sive joco et simulate fiat, ut statim ex alio loco patebit. Tertio, quia Concilia utuntur illis verbis eo modo, quo sapientes et docti in hac materia uti solent; omnes autem Theologi, cum ita loquuntur, non sumunt illa verba in eo materiali sensu, quia revera in illo non significant requiri aliquam intentionem, sed solum requiri externum ritum, quem Ecclesia servat. Et revera, si formalis intentio, de qua agimus, faciendi quod facit Ecclesia, seu faciendi sacramentum, vel alia similis non esset necessaria, illa etiam voluntas faciendi externam caeremoniam non esset necessaria,

nisi quatenus ad actionem externam concurrere potest. Quare, si actio illa exterior fieri posset sine tali voluntate saltem deliberata et humana, sed casu, etiam ab homine ebrio aut amente perficeretur sacramentum, quia non est major ratio de una, quam de alia, ut patebit facile applicando argumenta prioris sententiæ. Concilia ergo, quæ intentionem requirunt faciendi quod facit Ecclesia, sine dubio loquuntur de intentione sacramentali (ut sic loquamur). Quod in hunc modum potest præterea declarari, nam quod vere ac proprie facit Ecclesia, non est sola caeremonia exterior, quasi materialiter sumpta; illam enim possent facere etiam pagani et dæmones; quod ergo est proprium Ecclesiæ est facere illam ut sacramentum est; intentio ergo faciendi quod facit Ecclesia, est sacramentalis. Denique Concil. Trident., sess. 14, cap. 6, agens in particulari de ministro poenitentiae, docet, si a sacerdote desit animus serio agendi, et vere absolvendi, nihil fieri, idque definit in can. 9. Quæ definitio satis explicat, universalem definitionem prius datam; propter quam existimo, contrariam sententiam non posse jam tuto defendi nec sine errore.

9. Tertio possumus addere congruentias hujus institutionis. Prima, quia cum sacramentum sit caeremonia sacra, pertinet in primis ad ejus reverentiam, ut non fiat joco, sed ex animo; nec casu, sed ex intentione. Secunda, quia actiones, quibus fiunt sacramenta, ex se indifferentes sunt, ut hoc vel illo modo fiant, et ad significandum hoc vel illud, atque adeo, ut sint sacræ vel profanæ; ergo oportet ut definiantur ad esse sacramentale per intentionem ministri. Dices: determinari possunt per intentionem suscipientis, aut per intentionem Ecclesiæ, vel Christi. Respondetur: in primis suscipiens non semper est capax propriæ intentionis. Deinde actio, cum sit ab agente, per ejus intentionem determinari debet. Item potest retorqueri argumentum; nam si ex parte recipientis requiritur intentio, quando illam habere potest, cur non multo magis ex parte dantis? Rursus Ecclesia non habet per se propriam intentionem, sed per ministrum vult applicare sacramenta, juxta Christi institutionem; Christus vero non vult fieri sacramentum sine intentione ministri, quia expediens censuit, hanc potestatem suis ministris committere, ut modo humano illa uterentur, qui est nobilior modus operandi, magisque ad dignitatem tanti ministerii, ipsorumque ministrorum spectans. Quæ po-

test esse nova congruentia, seu confirmatio. Tandem argumentum illud, quod supra, explicando Concilia, insinuabamus, non est contemnendum; nam si prædicta intentio non esset necessaria ad sacramentum, nulla prorsus esset necessaria. Ex quo ab inconvenienti argumentatur Hugo Victor. supra, contra priorem sententiam; nam ex ea sequitur, si mater ablueret corpus infantis solo animo et cogitatione mundandi corpus, et eadem mente bene imprecaretur illi, invocando Trinitatem, nihil omnino de sacramento cogitans, in eo casu perfici sacramentum. Ac simili modo, si sacerdos habens præsentem panem, nihil cogitans de sacramento, proferret verba formæ, referrens fortasse factum Christi, conficeret sacramentum; utrumque autem et per se statim absurdissimum apparet, et prædictis definitionibus Conciliorum aperte repugnat. Sequela vero patet a paritate rationis, et quia argumenta prioris sententiæ, vel nihil, vel hoc etiam concludunt. Quia, si externum signum ita est impositum ad sacramentaliter significandum, ut hoc ipso, quod in re ipsa existit verbum, vel actio exterior, necessario habeat annexam prædictam significationem et esse sacramentale, tam habebit illud esse sacramenti, si casu fiat, quam si ex voluntate deliberata absque intentione sacramenti. Quæ argumentandi ratio plurimum valet, saltem ad enervanda prioris sententiæ argumenta, quibus nihilominus sigillatim respondendum est.

40. *Ad argumenta.* — Ad primum fundamentum respondetur ex Hugone Victor. supra, dupliciter posse aliquid fieri per jocos: primo, animo illud vere efficiendi, quamvis extrinsecus finis sit jocus, aut animi oblectatio; et talis intentio jocosa non est contra substantiam sacramenti, quia non destruit objectum intrinsecum, sed addit finem extrinsecum; et ita non tollit veritatem, sed honestatem actionis, quæ non est de substantia sacramenti. Secundo potest intentio ita esse jocosa, ut sit ficta et simulata; et hæc est contra veritatem sacramenti. In prædictis ergo factis, quæ in citatis historiis narrantur, credendum est, sufficientibus signis et conjecturis repertum esse, intentionem fuisse prioris modi; et in facto Athanasii signum esse potest, quod solum catechumenos baptizabat, ut Duran. supra notat. Ad secundum respondetur, ad priorem partem, Augustinum ibi simpliciter loqui de intentione necessaria ex parte recipientis; non tamen propte-

rea excludere intentionem dantis, quia neque ibi confert unam cum alia, neque ponit exceptionem ad contrariam regulam affirmandam. Ad alteram vero partem, Durandus supra exponit Augustinum, quod intellexerit, expectandam esse revelationem, quando dubium est de intentione jocosa, qualis fuerit, an scilicet omnino ficta, vel vera. Sed certe neque in eo dubio oportet ad revelationem recurrere, quia constat in eo casu sacramentum esse dubium, atque ideo iterandum esse, vel absolute, si est iterabile, vel sub conditione, si iterabile non sit. Fortasse igitur Augustinus tunc fuit dubius, quia nondum erat res tam exacte declarata; multa enim alia ibi reliquit ambigua, quæ jam facilius expediri possunt ex his, quæ discursu temporum ab Ecclesia sunt jam declarata.

41. *In sacramentis quæ certitudo sit satis.* — *Sacramentum ab hæretico dari, quare non repugnet.* — Ad tertium negatur illum modum institutionis ibi propositum fuisse convenientiorem. Ad primam vero probationem de munere et officio ministri, jam responsum est, probando nostram sententiam; ubi distinximus varios ministrorum modos, et explicuimus, quales existimandi sint ministri sacramentorum. Ad secundam etiam probationem data fere est responsio, nimirum, externas actiones sacramentorum, non utcumque esse impositas ad significandum, sed ut sunt actiones humanæ ipsorum ministrorum; et procedunt aliquo modo ex potestate illis data ad sacramenta conficienda. Quod potest exemplo declarari; nam si diaconus, verbi gratia, audita alterius confessione proferat verba absolutionis, si respicias id, quod exterius fit, ejusdem rationis esse videtur cum simili actione facta a sacerdote; tamen nullam habet sacramentalem significationem, quia non procedit a persona habente potestatem; eodem igitur modo, si sacerdos proferat verba sine debita intentione, non habent sacramentalem significationem, quia non procedunt a sacerdote, ut habente talem potestatem, et per illam operante. Quocirca non est similis ratio de sacramento, et voce ad significandum imposita, quia vox imponitur secundum se, ut est sonus quidam articulatus; unde, etiam si a psittaco proferatur, aliquo modo significat; sacramentale autem verbum non est hoc modo impositum, ut declaratum est. Neque etiam est simile aliud exemplum, quod ibi adducitur de Eucharistia consecrata, quia illud est sacramentum per-

manens in facto esse, et ideo, cum dispensatur a ministro, non est quod ab intentione ejus pendeat, quia, nec fit, nec conservatur ab illo; unde si contingat casu sumi absque ulla voluntate sumendi sacramentum, nihilominus re ipsa verum sacramentum sumitur, quamvis fortasse tunc non habeat effectum; quia hic non datur absque aliqua intentione, vel voluntate suscipientis. Ad primam confirmationem de intentione effectus respondetur simpliciter negando consequentiam, quia sacramentum ita est a Christo institutum, ut postquam est, et applicatur, sit veluti causa naturaliter agens, ubi non invenit impedimentum, et ideo si minister habet intentionem dandi sacramentum, illud habebit effectum suum, etiam si minister nolit, quia hoc non est positum in voluntate ejus. Secus vero est de ipso sacramento; nam ratio sacramenti non est necessario connexa cum exteriori actione seu caeremonia, sed pendet ex ministro, cui data est potestas faciendi vel non faciendi sacramentum. Hic vero oriebatur dubium, quia ille videtur habere intentiones quasi contrarias, de quo statim dicam in fine hujus sectionis, atque idem est de casu matrimonii ibi proposito. Ad secundam confirmationem hujus probationis respondetur, ministrum sacramenti physice proferre verba, aut efficere alias actiones externas, quantum ad physicam entitatem earum; moraliter vero efficere illas actiones, prout humanæ actiones sunt. Atque hoc modo est causa illarum, ut sunt actiones sacræ et sacramentales, et ad hoc est necessaria intentio; nam sub hac ratione morali assumuntur ad significationem sacramentalem. Ad tertiam probationem respondetur, non esse inconveniens, sacramenta ex hoc capite habere aliquam incertitudinem metaphysicam, (ut sic dicam); satis est enim, quod habeant moralem et humanam certitudinem; qualis esse potest in actione, quæ per homines et humano modo exercenda est; sicut negari non potest, quin multorum sacramentorum veritas pendeat ex eo, quod minister vere sit baptizatus, aut ordinatus, atque ex interno caractere, vel ex potestate jurisdictionis, ut in sacramento poenitentiae; ex quibus principiis potest oriri aliqua incertitudo de veritate vel effectu sacramenti, quod nullum est inconveniens, quia res humanæ habent hanc incertitudinem annexam; voluit autem Christus, homines in hujusmodi effectibus et actibus gubernari et operari, ut homines, seu humano modo; ad pacandas au-

tem conscientias sufficit certitudo moralis. Non est tamen simile exemplum, quod in argumento illo adducitur, de interna bonitate seu sanctitate ministri, quia hæc est multo magis dubia et incerta; unde si esset necessaria, non solum auferret metaphysicam certitudinem, sed etiam moralem et humanam. Eo vel maxime, quod hujusmodi bonitas per se non est necessaria ad operandum humano modo, neque ad applicandum potestatem acceptam ad operandum; et ideo non est cur requiratur ad veritatem sacramenti; intentio vero sacramenti est per se necessaria ad humanam operationem et applicationem ministerialis potestatis, et vix potest, moraliter loquendo, deesse, et ideo non est similis ratio. Et ex hoc patet solutio ad primam confirmationem de sacramento dato ab hæretico; non est enim inconveniens, quod tale sacramentum sit aliquo modo suspectum ex conditione talis personæ; et ideo non debet sacramentum ab hæretico suscipi, quoad fieri possit. Nihilominus non est simpliciter dubium tale sacramentum, si nullus alius defectus intercedat, vel timeatur, præter defectum intentionis, quia hæresis non excludit omnino hanc intentionem sacramenti; potest enim hæreticus intendere id facere, quod Christus instituit, ut infra latius dicemus. Quod vero Augustinus ait, intentionem rectam non facere nisi rectam fidem, intelligendum est de rectitudine honestatis meritoriae, et quæ ad vitam æternam conducat.

42. Secunda confirmatione moti videntur auctores, qui dixerunt, pie credi posse in eo casu, quando iniquus minister decipit hominem innocentem, fecte dando sacramentum sine intentione debita, tunc Deum supplere effectum sacramenti. Hæc vero pietas, ut dixi in commentario art. 8, non est secundum scientiam, quia non est consentanea ordinariæ legi a Christo latæ; hæc autem, quæ supernaturalia sunt, sine sufficienti fundamento non sunt asserenda, ut ibi late probavi. Quare dicendum est, in eo casu fieri posse, ut aliquis damnetur propter malitiam ministri, quod non potest refundi in Deum, quia ipse sufficienter providit hominibus, modo tamen illis accommodato, quia judicavit expediens homines salvare per homines, et remedia salutis in eorum manibus constituere, eorumque arbitrio committere. Quamvis ergo justum non sit, hominem privari spirituali remedio absque culpa, tamen hæc injustitia non est Dei, sed iniqui ministri, et is, qui eam pati-

tur, proprie ac per se non propter alterius culpam damnatur, sed propter proprium peccatum originale, aut mortale; alter vero est veluti causa per accidens removens salutis remedium.

13. *Si quis intendat facere quod fecit Christus, et non quod intendit Ecclesia, utrum conficiat sacramentum? — An qui vult dare sacramentum non tamen effectum sacramenti, efficiat sacramentum. — An baptizati volentes contrahere matrimonium, et non facere sacramentum, faciant sacramentum.* — Superest, ut respondeamus ad casum illum, in quo videtur esse perplexitas, propter intentiones ministri inter se contrarias, ut v. gr., si intendat facere quod fecit Christus, non vero quod intendit Ecclesia Romana. In qua re primum omnium observandum est, an tanta sit contrarietas voluntatum, ut omnino destruat intentio faciendi sacramentum, tam in particulari, quam in generali seu confuse; nam si talis sit contrarietas, non fiet sacramentum, quia tollitur intentio necessaria. Exemplum esse potest, si minister ita intendat facere sacramentum, quale ipse existimat ex falsa et erronea opinione, ut nullo modo velit facere illud, quale Ecclesia intendit, etiamsi contingat ipsum decipi, et Ecclesiae intentionem esse conformem institutioni Christi; ut si hæreticus Calvinista hoc modo velit efficere talem Eucharistiam, quæ sit signum corporis Christi, non quæ sit verum corpus Christi. Hic autem modus intentionis vix haberi potest, moraliter loquendo; requirit enim nimiam quandam reflexionem actuum, ex odio, aut maxima quadam pertinacia profectam. Deinde observandum est, an illa contrarietas impediatur, ne aliquid applicetur, quod sit de substantia sacramenti; tunc enim sacramentum esset nullum, non tam ex defectu intentionis, quam ex defectu materiae vel formæ, ut si quis intendat dare sacramentum baptismi, lavando puerum aqua rosacea, vel aliquid huiusmodi. At vero, si neutrum horum intercedat, illa contrarietas voluntatum, ex ignorantia concepta, non impedit sacramentum, quia nihil tollit ex tribus illis rebus, quæ necessariae sunt in omni sacramento; adest enim materia et forma, ut supponimus; adest etiam intentio, quia contraria voluntas propter intervenientem ignorantiam non fuit sufficiens ad excludendam illam. Unde fit, ut non sit proprie ac formaliter contraria in mente operantis, sed solum materialiter in objecto ipso; hæc autem materialis contra-

rietas non fuit sufficiens ad destruendam moralem intentionem, a qua procedit exterior effectio sacramenti, et per illam moraliter informatur. Atque ita sine controversia contingit in illo exemplo, quando quis intendit facere quod fecit Christus, non vero quod facit Romana Ecclesia; decipitur enim; nam cum idem sit, quod Christus et Romana Ecclesia docent, qui intendit unum, necessario re ipsa intendit aliud; quod si huiusmodi homo non vult facere quod Ecclesia facit, ideo est, quia existimat hoc esse diversum ab eo quod Christus fecit, atque hac ratione voluntas in falso errore fundata non excludit formalem et sufficientem intentionem sacramenti. Atque idem existimandum est de illo, qui intendit efficere sacramentum, non tamen dare effectum sacramenti; tum quia, ut Durand. notavit, intentio sacramenti est prior et essentialis, intentio autem effectus est posterior; tum maxime, quia necesse est, ut hæc posterior intentio procedat ex errore, quo existimatur, posse ministrum voluntate sua suspendere et separare effectum a sacramento, et ideo cum voluntate procedente ex hoc errore stat absoluta et efficax voluntas sacramenti. Si autem e contrario quis velit dare effectum sacramenti sine sacramento, id est, nolit facere sacramentum, v. gr., baptismi, velit autem infantem sanctificare, nihil omnino efficiet, quia simpliciter non intendit facere sacramentum, et alia voluntas dandi gratiam non est virtualis intentio sacramenti, sed procedit ex errore, quo existimat, se posse dare gratiam sine sacramento. Atque hinc colligi potest, quid dicendum sit in illo casu de matrimonio, si contrahentes cum sint baptizati, velint facere contractum, non tamen sacramentum. Nam si hæc posterior voluntas procedat ex privato errore, quo existimant matrimonium non esse sacramentum, tamen reipsa velint matrimonium contrahere eo modo, quo Christus instituit, vel quo juxta Dei voluntatem et ordinationem contrahi debet, tunc ille error particularis non excludit sufficientem intentionem ad faciendum sacramentum, quia ad hoc sufficit illa voluntas universalis, et altera particularis non proprie est ex affectu et intentione non faciendi sacramentum, sed solum ex errore, quia putant in re ipsa, nullum esse sacramentum. Si autem illa voluntas re vera sit proprie intentio et affectus separandi, quantum in ipsis est, rationem sacramenti a ratione contractus, vel ut matrimo-

nium non sit indissolubile, vel propter aliam similem ineptam rationem, tunc revera non fieret sacramentum, quia deest necessaria intentio. An vero validum esset tale matrimonium in ratione contractus, alterius est considerationis. Quicquid ergo circa hoc dicatur, probatur illud primum, quia vel ratio contractus est in re ipsa separabilis a ratione sacramenti inter tales contrahentes; et sic cum ipsi intendant, illa duo separare, et utrumque pendeat ex eorum intentione, nihil obstat, quominus reipsa separantur; aut non possunt in re separari post Christi institutionem, et tunc valor contractus pendet intrinsece ex sacramento; comparatur enim ad illud, ut effectus ad causam, seu, ut res ad sacramentum; ergo oportet ut intentio sacramenti ante omnia præcedat, alioqui nihil fiet, sicut dicebamus de intentione baptismi et effectus ejus. Qui vero intenderent facere sacramentum, non autem contractum matrimonii, nihil etiam facerent, quia illa posterior intentio non tantum est circa effectum, sed etiam circa materiam sacramenti, quam destruit. Sed de his hactenus.

SECTIO III.

Qualis intentio sufficiat ad efficiendum sacramentum.

1. *Intentio multiplex.* — Multa sub hoc titulo comprehendi possunt, quia multiplex potest esse intentionum partitio; alia enim est actualis, alia habitualis, alia virtualis, alia interpretativa, seu remota et in causa tantum. Rursus, quædam intentio potest esse conditionata, alia absoluta. Præterea quædam esse potest vera ac certa, seu ex vera cognitione orta, alia falsa, seu ex errore. Denique, interdum esse potest honesta, nonnunquam vero turpis; de quibus omnibus sigillatim dicendum est.

2. *Intentio in causa tantum, non sufficit.* — *Quare homo distractus possit sacramentum facere ex intentione præcedenti; ebrius autem non item.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Dico primo: intentio remota seu interpretativa et in causa, qualis esse censetur in voluntario tantum indirecto, non sufficit ad efficiendum sacramentum. Explicatur: finge sacerdotem, qui inebriari solet, et eo tempore, quo ebrius est, verba consecrationis super panem dicere, certum est, licet huiusmodi homo voluntarie inebrietur, et ibi in causa indirecte velit illum effectum, nihilominus eam voluntatem non

esse sufficientem ad conficiendum sacramentum, quia licet ille indirecte velit externam prolationem verborum circa panem, tamen sacramentum ut sic nec indirecte voluit, quia hoc non continetur in illa causa, sed solum illud prius. Addi vero ulterius potest prædicto casui, quod ille homo prævideat non solum se prolaturum externa verba, sed etiam habiturum voluntatem conficiendi sacramentum. Sed neque hoc satis esset, quia illa voluntas, quam haberet tempore ebrietatis, non esset humana, nec rationalis, et ideo per se non esset sufficiens ad conficiendum sacramentum; voluntas autem indirecta, quæ præcessit, minime etiam sufficit, quia revera nullo modo imperat posteriorem actionem, imo neque est propria voluntas talis objecti, sed secundum moralem rationem imputatur, ac si esset voluntas ejus, quando homo prævidit talem effectum, et potuit ac debebat illum vitare. Ut hoc vero a fortiori constet, addo ulterius: etiam si huiusmodi homo habuisset prius intentionem proferendi verba, et per illa conficiendi tempore ebrietatis, nihilominus postea nihil efficeret, quia illa non est satis, ut actio, quæ postea fit, sit proprie humana, nam exercetur ab illo, qui ratione uti non potest. Unde, licet prior intentio comparatur ad illum actum, qui postea fit in ebrietate, ut actus interior ad objectum suum, non tamen comparatur, ut principium seu causa moralis ad suum effectum; actio autem sacramenti debet procedere ab intentione ministri, ut a principio operante. Et in hoc differt illa actio ab illa, quæ fit ab homine sui compote, tamen distracto, nam cum huiusmodi homo ratione utatur, actio ejus simpliciter est humana, et libera, et procedit aliquo modo a priori intentione; at vero actio ebrii, licet in ordine ad culpam denominari possit voluntaria et libera a præcedenti voluntate, magis tamen ut effectus quidam physicus, quam ut actio humana, unde ut est actio hominis tunc revera non est libera, nec moraliter procedit a priori intentione, sed solum remote et valde per accidens, per applicationem ejusdem causæ, a qua postea proficitur illa actio modo quodam naturali seu irrationali, qui non est sufficiens, nec accommodatus ad ministerium sacramentorum. Sed contra, nam Augustinus, tract. 5 in Joan., dicit, baptismum, ab ebrioso datum, esse validum. Confirmatur, nam baptismus, quem ebrius, aut amens suscipit, est validus, si prius ille habuit intentionem suscipiendi bap-